

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Eucharistia d
cum fonte primo

Cotidie eucharistie communionem percipere nec laudo nec reprehendo.
Omnibus tamen dominicis diebus suadeo et hortor,
si tamen mens sine uoluntate peccandi sit.
Nam habentem adhuc uoluntatem peccandi,
grauari magis dico eucharistie perceptione quam purgari.
Et ideo quamuis peccato quis mordeatur,
peccandi tamen de cetero non habeat uoluntatem
et communicaturus satisfaciat lacrimis et oracionibus,
et confidens de Domini miseracione
qui confessione peccati pie peccata donare consuevit,
accedat ad eucharistiam intrepidus et securus.
Sed hoc de illo quem capitalia et mortalia peccata non grauant.
Nam quem mortalia peccata uel crimina post baptismum grauant,
hortor prius publica penitencia satisfacere
et ita sacerdotis iudicio reconciliatum communicatione sociare,
si uult non ad iudicium
sed ad condemnacionem sui eucharistiam percipere.
Sed et secreta satisfactione solui mortalia crimina non negamus.

Augustinus libro de ecclesiasticis dogmatibus.

Cotidie eucharistiae communionem percipere nec laudo nec uitupero.
omnibus tamen dominicis diebus communicandum hortor,
si tamen mens in affectu peccandi non sit,
nam habentem adhuc uoluntatem peccandi
grauari magis dico eucharistiae perceptione quam purificari.
et ideo quamuis quis peccato mordeatur,
peccandi non habeat de caetero uoluntatem
et communicaturus satisfaciat lacrimis et orationibus
et confidens de Domini miseratione,
qui peccata piae confessioni donare consuevit,
accedat ad eucharistiam intrepidus et securus.
sed hoc de illo dico quem capitalia et mortalia peccata non grauant:
nam quem mortalia post baptismum crimina commissa premunt,
hortor prius publica paenitentia satisfacere
et ita sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari,
si uult NON AD IVDICIUM
et condemnationem sui eucharistiam percipere.
sed [et] secreta satisfactione solui mortalia crimina non negamus,
sed mutato prius saeculari habitu et confessio religionis studio
per uitae correctionem et iugi, immo perpetuo, luctu, miserante Deo:
ita dumtaxat ut contraria pro his quae paenitet agat
et eucharistiam omnibus dominicis [diebus] supplex et submissus
usque ad mortem percipiat.

Gennadius Massiliensis, *Liber ecclesiasticorum dogmatum*, 22
(C.H. Turner ed., *Journal of Theological Studies* 7 [1905], p.94).